



# Disputatio juridica inauguralis de rei vindicatione

<https://hdl.handle.net/1874/347256>

43.

D I S P U T A T I O J U R I D I C A  
I N A U G U R A L I S  
D E  
R E I V I N D I C A T I O N E .

Q U A M ,

A N N U E N T E D I V I N A G R A T I A

E x A u c t o r i t a t e M a g n i f i c i D . R e c t o r i s ,

D . H E R M A N N I v a n H A L E N ,

S . S . T h e o l o g i æ D o c t o r i s , e j u s d e m q u e F a c u l t a t i s i n I n c l y t à A c a d e m i à  
U l t r a j e c t i n à P r o f e s s o r i s O r d i n a r i i , V e r b i q u e D i v i n i i b i d e m i n

E c c l e s i à P r æ c o n i s ,

N E C N O N

A m p l i s s i m i S e n a t u s A c a d e m i c i c o n s e n s u , N o b i l i s s i m e q u e  
F a c u l t a t i s J U R I D I C Æ D e c r e t o ,

P R O G R A D U D O C T O R A T U S  
S u m m i s q u e i n U T R O Q U E J U R E h o n o r i b u s & P r i v i l e g i i s  
r i t e & l e g i t i m e c o n s e q u e n d i s ,

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

J A C O B U S O S S E W A E R D E , G o e s x - z e l a n d .

A . D . 9 . D e c e m b r i s , h o r i s l o c o q u e s o l i t i s .



T R A J E C T I a d R H E N U M ,

E x O f f i c i n à F R A N C I S C I H A L M A , A c a d e m i æ  
T y p o g r a p h i , c l o l c L x x x i x .

*Amplissimis, Spectatissimis, Gravissimis, ac  
Consultissimis V I R I S,*

D.D. MARINO OSSEWAERDE,  
Civitatis Goesanæ Scabino fidelissimo ,  
nec non Consultissimo, Patri meo , prop-  
ter innumera in me collata beneficia , in  
æternum colendo , & ad rogum usque  
persequendo.

D.D. MAERTEN MAERTENSE,  
Urbis Slusæ exconsuli vigilantissimo.

D.D. CORNELIO OSSEWAERDE,  
sacrarum veritatum in Ecclesia Medio-  
burgensi promulgatori fidelissimo , ac  
indefesso.

D.D. JOHANNI OSSEWAERDE,  
Procuratori Urbis Goesanæ illustrissimo ,  
& quondam quæstori Ordinum Zeelan-  
diæ spectatissimo , avunculis meis cha-  
rissimis , patris instar adamandis.

*Me & dissertationem hanc inauguralem , ea qua  
par est obedientia in sinceri amoris tesseram ,*

*Consecro & offero*

JACOBUS OSSEWAERDE , Audit. & Resp.



DISPUTATIO JURIDICA  
INAUGURALIS  
DE  
REI VINDICATIONE.

THESSIS I.



Etio nihil aliud est quam ius per-  
sequendi in judicio quod sibi de-  
betur *pr. inst. de act.* Prima atque  
principalis actionum divisio est,  
quod aliae in rem sunt, aliae in  
personam *l. 25. ff. de oblig.* &  
*act. §. 1. inst. de act.* Actiones in  
rem vel universales sunt quibus  
ipsa universitas petitur, ut haereditatis petitio, vel  
singularis, quibus res aliqua singularis in judicium  
deducitur, ut rei vindicatio, confessoria & nega-  
toria actio, & similes. De rei vindicatione, ut  
pote maximè principali, breviter hac inaugurali  
disputatione pro virili differere animus est.

A 2

II. Vo-

4 DISPUTATIO JURIDICA

I I.

Vocabulum *rei* apud JCtos latissimæ est significationis *l. 5. pr. ff. de v. s.* in hac autem materia strictius sumitur pro re corporali , uti ex sequentibus patebit. Vindicatio ita dicta à vindicando , seu afferendo , vel generaliter sumitur pro quavis actione reali *§. 15. inst. de act. l. 3. §. 3. ff. ad exhib.* sicut à contrario omnis personalis actio generali nomine vocatur *condictio. d. §. 15.* vel specialiter sumitur pro assertione dominii , seu pro ea actione , qua rem aliquam corporalem nostram esse contendimus , in qua significatione ita definiri potest.

I I I.

Rei vindicatio est actio in rem , quæ datur soli domino , adversus quemcunque rei possessorem , ut rem restituat cum accessionibus. In hac definitione tria latent requisita vindicationis , 1. Ex parte actoris requiritur dominium *l. 23. ff. b. t.* 2. Ex parte rei conventi possessio. *l. 4. ff. eod.* 3. Ex parte rei petitæ ut sit corporalis *§. 1. inst. de act. l. 56. ff. b. t.* sed singula hæc separatim examinabimus , si ostendamus quod in omni actione tanquam essentiale requiritur , cui detur , adversus quem , & ad quid.

I V.

Ut clarum fiat cui detur , dist. est inter directam  
vin-

## INAUGURALIS. 5

vindicationem & utilem , directa datur soli domino , qui dominium suum acquisivit vel jure gentium , vel jure civili l. 23. ff. b. t. nec intereat an hoc dominium perpetuum sit an revocabile l. 66. ff. eod. qua ratione etiam marito competit vindicatio rei dotalis l. 9. C. eod.

### V.

Utilis vindicatio datur quasi domino , ut emphyteutæ l. 1. §. 1. si ager vect. superficiario l. 73. §. 1. & seqq. ff. b. t. item emptori cui cessa est actio in rem l. ult. C. de hæred. vel action. vend.

### V I.

Cum dictum sit à parte actoris dominium requiri , non sine causa dubitari posset , an , si actor post litem contestatam dominium acceperit , nihilominus hoc judicio obtinere debeat ? in quæstione illâ verior sententia affirmativa videtur , quoniam id in jure novum non est , ut ex conditione quæ in auctore post litem contestatam contingit retro rectè egisse intelligatur , & in judicio obtineat. arg. l. 9. §. ult. ff. de pignorat. act. l. 16. ff. judic. l. 11. ff. qui satisd. cogant. l. 17. ff. mandat. atque illud etiam exinde perspicuum est , quod etiam is qui post litem contestatam factus est possessor condemnari possit l. 27. §. 1. rei vind. de jure canonico res est extra controversiam per textum in C. 3. x. de sent. & re jud. in Sto.

## 6 DISPUTATIO JURIDICA

### V I I.

Non datur vindicatio ei qui non est dominus,  
qualis est is cuius pecunia res comparata est *I. 6. C.  
b. t. l. 8. C. si quis alteri vel sibi exceptis tamen  
casibus specialibus in l. 8. C. b. t. l. 12. ff. de jure  
dot. l. 2. ff. quando ex facto tutor.*

### V I I I.

Competit vindicatio contra possessorem §. 1. *in  
fine inst. de act. l. 36. ff. b. t. sive bonæ fidei, si-  
ve malæ fidei possessor sit l. 1. C. b. t. l. 10. 12.  
21. ff. eod. modo tamen possideat tempore con-  
demnationis l. 27. §. 1. ff. b. t. quid si reus se pos-  
sidere negat? actori incumbat probatio possessionis,  
quam si probaverit, eam ad se à possessore transfert  
l. ult. ff. b. t.*

### I X.

Possidere in hac materia intelligitur 1. Qui suo  
nomine possidet *l. 9. ff. b. t.* 2. Qui est in posse-  
ssione, seu qui alieno nomine possidet, quique re-  
stituendæ rei facultatem habet. *d. l. 9.* hic tamen  
si auctorem laudaverit absolvi potest *l. 2. C. ubi in  
rem. act.* quid si autem is qui alterius nomine pos-  
sidet, condemnatus sit, Quæritur an hæc sententia  
etiam vero possessori præjudicet? quod affirman-  
dum videtur, tum quia formula prætoris præci-  
pue jus actoris respiciebat, tum quod per alios  
quo-

## INAUGURALIS. 7

quoque qui nostro nomine sunt in possessione, amittere possumus possessionem *l. 44. §. 2. ff. de acq. & omitt. possess.*

### X.

Tertio pro possessore habetur, qui dolo desuit possidere, sive ante sive post litem contestatam *l. 27. §. 3. l. 68. ff. b. t.* jus nostrum pari jure censet eum, qui quid habet & possidet, & eum cuius dolo factum est, quo minus possideat *l. 131. l. 150. ff. de R. f.* hæres autem ex dolo defuncti non tenetur, nisi quatenus factus est locupletior *l. 52. ff. b. t.*

### X I.

Quarto pro possessore etiam habetur, qui liti se obtulit, licet neque possideat, neque dolo possidere desinat *l. 2. 25. ff. b. t.* duo autem hoc casu concurrere debent, ut offerens condemnari, possit, 1. Ut in oblatione illa perseveret, atque ita litem secum contestari passus sit *d. l. 25.* 2. Ut actor ignoret eum possidere, nam si sciverit, tum non ab alio sed à se ipso actor decipitur, & ideo reus absolvitur *l. 26. ff. eod.*

### X I I.

Restat ut videamus quid petatur Rei Vindicatione, dictum est in definitione, ut rem restituam cum accessionibus, ergo hic consideranda est res,  
& rei

## 8 DISPUTATIO JURIDICA

& rei accessio ; quod ad rem attinet , in illa requiritur ut sit corporalis §. 1. *inst. de act.* est perinde sive res sit mobilis , sive immobilis , sive præsens sive absens l. 47. ff. b. t. tria genera corporum referuntur à JCto in l. 30. ff. *de usu cap.* unum quod continetur uno spiritu , ut homo , tignum , lapis , talia corpora vindicare posse constat ex l. 1. §. 1. l. 8. b. t. excipitur tamen tignum ædibus junctum , propter rationem propositam in §. 29. *inst. rer. divis.* & l. 23. §. 6. ff. b. t. alterum genus corporum est , quod ex contingentibus seu pluribus inter se cohærentibus constat , ut navis , ædificium , armarium , hæc quoque corpora in vindicatione venire patet ex l. 3. §. 1. l. 38. & seqq. ff. b. t. tertium genus corporum est , quod ex distantibus corporibus constat , ut corpora plura non soluta , sed uniuersitati subiecta , veluti , grex , populus , legio , atque hæc quoque corpora vindicationi subjacere manifestum est , ex l. 1. § final. & ll. seqq. ff. b. t.

### X I I I.

Alterum quod in re per vindicationem petenda requiritur , Illud est , ut certa sit l. 6. *pr. ff. b. t.* actor itaque debet designare rem , utrum totam an partem & quotam petat , si infectam materiam pondus si signatam , numerum , si factam , speciem demonstrare auctorem oportet , si vero res mensura constet , mensuram ut dicat necesse est d. l. 6.

### XIV. Quod

# INAUGURALIS. 9

## XIV.

Quod ad accessiones attinet, res à possessore restituī debet cum omni causa, veluti id quod interest si res deterior facta est *l. 13. 20. 34. ff. b. t.* huc autem præcipue spectant fructus *l. 17. ff. eod.* qua in parte dist. inter bonæ fidei & malæ fidei possessorem, bonæ fidei possessor omnes fructus ante litem contestatam perceptos irrevocabiliter suos facit, quod in sequentibus thesibus per partes probabo.

## XV.

Dico *ante litem contestatam* quia post litem contestatam bonæ fidei possessor, incipit esse malæ fidei possessor, ac omnes fructus consumitos ac perceptos restituere tenetur *§. 2. inst. de offic. jud.* *¶ l. 22. C. b. t.* dixi, *perceptos & consumptos*, extantes tenetur enim cum ipsa re restituere *l. 22. C. b. t.* nisi forte ipsi fructus usucapti essent *arg. l. 4. §. 19. ff. de usurpat.* Quæritur itaque an sola perceptio bonæ fidei possessorem non faciat dominum, R. neg. bonæ fidei possessor non sit dominus fructus nisi eos consummisit *d. l. 4. §. 19. ¶ l. 40. ff. de acq. rer. dominio,* & præcipue per *l. 4. §. 2. ff. fin. regund.*

## XVI.

Addidi bonæ fidei possessorem omnes fructus  
B suos

suos facere, tum intelligo fructus naturales quoque, nam bonæ fidei possessor non tantum fructus industriales suos facit sed etiam naturales per *l. 48. pr. ff. de acq. rer. domin.* ubi additur illa ratio quia quod ad fructus attinet loco domini est, & per *l. 25. §. 1. ff. de usur.* ubi bonæ fidei possessori ratione fructuum tantum juris tribuitur, quantum domino, & plus juris quam usufructuario.

## X V I I.

Illud etiam Quæritur an bonæfidei possessor saltem non teneatur de fructibus consumptis quatenus factus est locupletior? hoc negandum esse putamus, tum quia nusquam leges ita dist., utrum bonæ fidei possessor factus sit locupletior nec ne, tum quod in *l. 4. §. 2. ff. fin. regund.* bonæ fidei possessor dicitur fructus lucratii.

## X V I I I.

Malæ fidei possessor nullos omnino fructus lucratur, sed omnes sive existent sive consumpti sint restituere tenetur. *§. 35. inst. de rer. divis. l. 22. C. b. t. æquitas* enim non patitur aliquem ex dolo suo, vel mala fide lucrum facere; neque tantum de iis fructibus tenetur quos percipit, sed & de illis, quos non percipit, modo tamen honeste percipi potuissent. *l. 33. ff. b. t. l. 5. C. eod.*

C O-



## COROLLARIA.

I.

*Actiones sua natura mixtas dari neg.*

II.

*An mandator vulneris, cade subsecuta,  
de ea teneatur? affir.*

III.

*Filius fam. Scto. Macedoniano renun-  
ciare non potest.*

IV.

*Princeps legibus solutus est.*

V. Ser-

V.

*Servitutes maxime sunt in bonis.*

F I N I S.



VI

*De ambo iudiciorum*

et V